



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Nucleus Copensteinivus Conceptuum Prædicabilium In Dominicas Festaqve omnia per Annum

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1624

Concio Secvnda. De Signis iudicium præcessuris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51556)

Habete in oculis terribilem iudicij diem, & habete eum padagogum.

III. Obliuio iudicij mala quanta non inuehit? 1. Dixi ex Psalm. 9. Inquinata sunt via, &c. 2. Quale par nequam senum, Dan. 13. Auerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos ut non viderent caelum; neque recordarentur iudiciorum suorum. Atque ideo in Sufannam exarsere.

Testatur Iob 39. Deum horrore iudicij frenasse gentes, ne in omne nefas abirent. Tenuisti, ne peccarent licentius, concutiens terrore iudicij, extrema terra, id est, peccatores, (qui orbis abiectissima sunt, estque longe a peccatoribus salus: Psalm. 118.) & excusisti impios ex ea. Praeseruat igitur a peccatis ista memoria.

Figura de effectu.

Haec vindicat in peccata; sicut Samson per vulpes in Philistaeos. Iudicium 15. Peccatorum desideria, affectus, & scelera sunt vulpes: per memoriam nouissimorum cum vltice flamma colligata immittantur in segetes peccantium: haec exurentur, & vindicta erit de carne, daemone & mundo sumpta. Huc respexit Isaias 41. Viderunt iudicia DEI in sole & immuerunt, extrema terra obstupuerunt, & appropinquauerunt, & accesserunt. Psalm. 67. similia. Turbabitur gentes, & timebunt, qui habitant terminos a signis tuis. Haec igitur memorare nouissima, &c.

CONCIO SECVNDA.

De Signis iudicium praecessuris.

ANtiachus 2. Mach. 5. templum Solymae euastauit, 80000. hominum occidit, plures captiuos abduxit, &c. Sed 40. diebus ante in aere acies armatorum visae. Ita mundi destructionem anteibunt signa terrifica.

Circa quæ nos

- I. De horribilitate signorum, quæ iudicium anteibunt.

II. De signis in sole, & Caelorum virtutibus.

III. Cur talia in creaturis sint edenda monstra.

IV. De signo in luna, & signorum allegoria.

V. De signis stellarum.

PARS I.

De horribilitate signorum, quæ iudicium anteibunt.

OPere iustitiae, & vindictae Dei nil horribilius. Abacuc 1. Admiramini, & obstupescite, quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credat, cum narrabitur. Quod opus illud? Exodi 34. Signa faciam, quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus, ut cernat populus iste Opus Domini terribile, quod facturus sum. Terribiliora Ioel. 2. Dabo prodigia in caelo, & in terra, sanguinem & ignem, & vaporem fumi; sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.

Vidistis Philosophi haecenus signa Zodiaci circumuolui: at hic iam alia sese dabunt: sanguinea, flammea: &c. Coeli sanguine stillabunt; terra ignibus, aer fumo aestuabit, &c. Actorum 2. dicitur dies Manifestus. Nam signa praecedentia manifestabunt horrorem. 1. Sicut Psalm. 134. Misit signa & prodigia in medio tui Aegypti, in Pharaonem, & in omnes seruos eius. Ita in medio orbe, manifesto praemittet portenta iudicio, marique rubro pandendo ad transitum iustorum: & interitum Pharaonitarum. 2. Sicut tonitrua fulminum praenuncia: ita signa ea iudicij. Psalm. 96. Illuxerunt fulgura eius orbi terrae, vidit & commota est terra: quanto magis homines commouebuntur? 3. Maris accola ex auum circumuolatu in litore colligunt, quando mare alluet, aut defluet: sicque fuga sibi cauent. Ita ante vndosus iudicij aestus signa ibunt horrida. Psalm. 99. *Dedisti*

Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant a facie arcus. 4. Iosue cap. 6. ante septiduo circuibat cum Arca muros Iericho tubis clangens; quam denique subuertentur omnia. Iericho, id est, Luna, ait Orig. homil. 69. in Iosu. Nam mundus stultus ut luna mutatur, subinde vsque ad deliquium. Sol, ac Luna, sideraque alia, (quæ militia cælestis nuncupatur:) mundum insolito cursu circumibunt, signaque dabunt ante, quam omnes in Iericho dispareant. 5. Ita Apocalyp. 10. In diebus septimi Angeli, cum cæperit tuba canere, consummabitur mysterium. Hoc memorare, & in æternum non peccabis.

P A R S II.

De signis in sole, & cælorum virtutibus.

Signa indi-
cium sunt
interitus.

I. Runt signa in sole, luna, & stellis. 1. Vt enim defecti senij indicium est lippitudo, tremor, & c. ita orbis occasuri obscuratio oculorum eius; qui sunt sol, luna, ac stellæ, terræque motus. 2. Inde se Isaac morti vicinum augurabatur, Gen. 25. quod caligauerunt oculi eius: Ita obscuraciones siderum indicant, quod, Matth. 24. iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. 3. Præsertim cum & membra mundi tremant, vrbesque ruant: nam erunt motus per loca.

Virtutes
quæ mo-
uebuntur.

Insuper & Virtutes cælorum mouebuntur. Luc. 21. id est. 1. Influxus distemperabuntur ad rerum omnium perturbationem. 2. Aut motores Angeli cælos deserent, errareque sinent. Nam 2. Petri 3. Cæli magno impetu transient. Isai. 13. Super hoc cælum turbabo, & mouebitur terra de loco suo, propter indignationem Domini exercituum. 3. Aut denique ipsi mei Angeli, Virtutes ac Potestates, cælorum mouebuntur præ horrore iudicij, ut accipit Eusebius. Quis tunc hominum tremor est futurus; quando Iob 26. Columnæ cæli pauent, & contremiscunt ad nu-

tum eius? Vbi Sanctus Gregorius. Quid facient, ait, tabula, quando tremant columnæ? 4. Similes in hoc angeli erunt filio trementi, quando cernit patrem iratum in seruos animaduertere. Ita li. 4. Distinct. 48. Magister. 5. Mouebuntur etiam horrore; quod ad insolita exequenda ipsi destinabuntur. Sicut cum herus in agone pro deposito habetur, domestici in luctu sunt ac squalore, ipsique parietes ac sellæ atro obducuntur, & c. quæ omnia, ait Augustin. 1. ciu. cap. 12. magis solatia sunt viuorum, quam subsidia defunctorum. Ita hominum mundi herus expiraturus, deque mundo auferendus cum erit, omnia sensata & insensata lugebunt cælestia, ac terrestria.

II. Sol atrabitur, Apocal. 6. Cum aperuis. Sol erit niger, tanquam saccus cilicinus. Cur? 1. Visa hominum impietate ingrata & inimica, pœnisque æterna paratis. 2. Iratus simul, & misertus tam miserorum mortalium. 3. Ait Orig. & S. Gregorius Magnus: Ea facie sua monere solem homines ad pœnitentiam in sacco cilicioque agendam.

Soli similes erunt & cæli. Isai. 50. In increpatione mea induam cælos tenebris: & pœnam saccum operimentum eorum. Rex Ninive edixit, Ionæ 3. Operiantur saccis homines, & conuertatur vir à via sua mala: Ita Deus & cælis imperabit in iudicio. Exclamat S. Hier. O horror horrorem, o spectaculum spectaculorum!

Cæli cur
obnubentur?

P A R S III.

Cur talia in creaturis monstra sint e-
denda.

I. Non sat aquis transcendendi montes; plantas rorare sanguine; domos euertere; terras æstare flammis; Angelos hominesque trepidare? Etiamne solem, cælos, & supera pati necesse est? 1. Est, inquit S. Gregorius. quia homini ad peccatum

Yyyy

catum

catum feruierant. 2. Est, inquit Sanct. Thomas, quia iniuria affecto hero omnis eius turbatur familia. 3. Regia læsa maiestate, armisque appetita, subditi pro ipso in arma ruunt, Sap. 16. *Omnia creatura tibi Creatori deseruiens excandescit in tormentum aduersus iniustos.*

II. Eriure merito. Nam sicut ciuitas ab tyranni pressa iugo, ut illum semel excuset, in ipsum arma sumit pro libertate: Ita cum à peccatoribus creaturæ quasi tyrannidem sint passæ: item cum mundus ipse in incolas suas tyrannidem exercuerit: ideo & Deus in mundum vindicat pro iustis diu oppressis: & etiam, Sapient. 5. *armabit creaturam ad ultionem inimicorum, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.* Atque ideo erunt signa. Prodit Iosephus, & Hegesippus, ante Soly-mæi Templi ac vrbis euastationem signa apparuisse: quanto magis, & maiora ante Orbis excidium?

III. Quid quod tantum sit odium Dei in peccata, ut horum vindictam sit etiam ab inanimis repetiturus. Sicut Exod. 22. *Qui cum iumento peccauerit, moriatur & iumentum.* Ergo res sociæ culparum, erunt & poenarum. *Domine, quid est homo, ait Iob 14. dignum ducis super huiusmodi aperire oculos, & adducere eum tecum in iudicium? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, quasi dicat. Ten' omnipotentem contra tam fragilem taliter insurgere? si vel Angelo id committeres, & c.*

IV. Erunt tamen signa in sole & luna. Ita quidem ipsa fuerunt ab exordio: nam Gen. 1. *Sint in signa, & tempora:* sed signa diei gratæ ac noctis: Nunc erunt signa iudicij inimica. Inter quæ alia signa sol erit; cum fuerit in plura pluribus. 1. *Iosue 10. substitit cursu in medio, in signum victoriæ populi Dei.* Ezechia Regi 4 *Regum 20. vel recessit 10. gradibus, in signum*

restituendæ Regi sanitatis. 3. In passione tenebris fuit inuolutus, in signum compassionis. Erit tamen & in iudicio signum sol.

Nimirum peruicacia mundi signis erit conterrenda: sic ut & Pharaonis ante, quam funditus interiret. Et vero idola etiam omnia Aegypti corruerunt nocte, qua Israelitæ exhibant: ita & peccatoris idola in mundo hoc destruentur ante, *quam veniat dies Domini magnus, & manifestus.*

PARS IV.

De signo in Luna: Et signorum allegoria.

I. **L**Vna quid fiet? 1. Isa. 13. *O tenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in Lumine suo.* 2. Ezech. 32. *Operiam, cum extinctus fueris, caelos, & nigrescere faciam stellas eius: solem nube tegam, & Luna non dabit lumen suum.* 3. Ioel. 2. *Sol & Luna obtenebrati sunt, & stellæ terræ erunt splendorem suum.*

4. Petrus Actorum 2. *Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini.* 5. Apoc. 6. *Luna tota facta est sicut sanguis, & stellæ ceciderunt de caelo super terram.*

Sed cur sanguinea? An, quod instantem annunciet tempestatem? Nam *Pallida Luna pluit, rubicunda stat, alba serenat.*

An, ut interitum orbis designet? 1. Ita Tamerlanes urbem aliquam obfidens, ni die primo se alteroue tertio dedisset, tentoria rubra figebat: eoque cadem omnium denunciabat. Ita Dominus rubea Luna. 2. Ante iussit Deus superliminaria sanguine agni tingi, quam Israelitas educeret, & caderet Aegyptios. Ita ante iudicium sanguinabit Luna.

II. Quid, quod sol Iesum, Luna Mariam, stellæ Cœlites nobis repræsentant? Hi de se signa dabunt.

1. Chri-

1. Christus quidem: Malac. 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitia: cæteris sol vindictæ: Nam tunc posita benignitate vultum sumer iratus: vti Samuel prædixit, 1. Regum 15. Triumphator in Israel non parceret, & pœnitentia non flectetur.* Prouerb. 6. *Zelus & furor viri non parceret in die vindictæ, nec accipiet pro redemptione dona plurima.* O signa! Sed maiora restant. Arma Palsionis apparebunt. Luc. 21. *Tunc parebit signum filij hominis.*

2. Deipara vero, (quæ Cantic. 6. *pulcra vt Luna estiam, deprecando pro nobis apud filium:*) tunc irata non dabit lumen suum deprecationis: non erit refugium peccatorum: non Cynosura fluctuantibus; sed his etiam tenebras affundet. Esthera, cap. 7. *Amano irata, quod petiit ab Assuero, obtinuit: & Aman laqueo periit.* Ita Deipara nunc deprecatrix, tunc in iudicio erit accusatrix. Tunc dicet Filio. Iere. 18. *Recordare quod steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum & auerterem indignationem tuam ab eis: propterea deduce eos in manus gladij. O signum horribile!*

3. Denique Cœlestes signa dabunt; tanquam lictores vestitu suo sanguineo ac tubis. Imo Psal. 148. *Ignis grando, nix, glacies, & Spiritus procellarum facient verbum eius, in vindictam peccatorum.* Et vero quid ni & nunc in iudicio stellæ Cœlitum præcurrerent Domino? Cum in natiuitate ei præierint ad Magos: Matth. 2. *Vidimus stellam eius in oriente; inquirunt. Præierunt Cœlites ad Mariam, Zachariam, Iosephum, Pastores.* Ita nunc & angeli & stellæ ipsi ministrabunt iudici futuro.

P A R S V.

De stellarum signis.

I. Quid autem dicitur, *cadent de cælo:* interpretantur Alij sic: videbuntur cadere: Alij, sic cometæ nati decident. Origenes sic: *eximij quique viri de-*

ficient ad Antichristum. Vti in Daniele. cap. 8. *Deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas.* Quia, explicat S. Gregorius 30. Moral. cap. 12. *nonnullos & luce iustitiæ resplendentes, & virtute operis robustos Antichristus franget.* Id in Apocalypsi cap. 12. describitur typo draconis tertiam stellarum partem cauda trahentis secum in perniciem.

II. Ad allegoriam vero, Sancti sunt Sancti sunt stellæ, in quibus, vt in Sole & luna, id est, stella. in Iesu & Maria signa sient. 1. Sunt stellæ. Quia 1. Corinth. 15. *Alia claritas solis, alia claritas lune, alia stellarum,* id est, Sanctorum gloria est diuersa. 2. Dan. 12. *Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stelle in perpetuas aternitates.* 3. Mulier, Apoc. 12. cum stellis 12. in corona, est Ecclesia cum S. Apostolis. Nam Sancti resplendent in Ecclesia, vt in cœlo stellæ. 4. Latentque abditi in die prosperitatis, ac mundani respectus, sicut stellæ: at noctu aduersitatis, vel mortistum rutilant. Sic Gregorius 4. Moral. cap. 14. 5. *Vtque stellæ fixæ sunt, nec nisi cum cœlo moto mouentur: Ita sancti in Deo fixi. Secundum illud Act. 17. In ipso viuimus, mouemur, & sumus.* Hisce in stellis, id est, sanctis erunt signa. Nam Isaiæ 13. *Stellæ non expandent lumen suum. Ioel 2. Stelle retraxerunt lumen suum.* O signa infausta.

III. Infaustior autem res signata. 1. Nam tunc sancti subtrahent opem suam intercedendi pro peccatoribus: Quia iustitiæ tempus est, non misericordiæ. Quantum namque iam patrocinantur, tantum de in aduersabuntur: conformes Duci suo IESV. 2. Psal. 149. *Exultationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus.* 3. *Exultabunt, & iubilabunt de die vindictæ iniuriarum suo Capiti Iesu illatarum: seque ipsumque vindicabunt de improbis.* 4. *Irridebunt eos ac sub*
Yyyyy 2 fanna

fannabunt; Deuter. 32. *Vbi sunt Dijeorum, in quibus habebant fiduciam? Surgant, & opululentur vobis, & in necessitate vos protegant.*

5. Simul in interitu eorum ridebunt. Psalm. 57. *Latabitur iustus, cū viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Et Sap. 5. *Stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. O signa! Hæc memorare nouissimata tua, &c.*

CONCIO TERTIA.

De horribili die iudicii.

MOyses, Deu. 23. præuidens ventura in Iudæos mala, ob violationem legis, diem quo euenient, appellat diem perditionis, desolationis & destructionis. Ex quo licet æstimare de die generalis perditionis, tanto horribiliore.

Super quo nos

- I. De horrore Diei iudicialis.
- II. De ignorata, & immeritoria die illa noctis.
- III. De ignibus diei.
- IV. De tempestate in elementis quatuor.
- V. De nominibus diei.

PARS I.

De horrore diei iudicialis.

Horror di. I. **I**Saias 21. ait. *Viso dura nunciata est mihi, propterea repleti sunt lumbi mei dolore, & angustia possedit me, sicut angustia parturientis. Corruui cum audirem. Conturbatus sum, cum viderem: emarcuit cor meum: tenebræ stupescerunt me. Viderat euertendam Ierosolymam, templum, aram. At quid ea ad orbis totius interitum? Exclamare libet cum Ieremia. 1. *Ollam succensam ego video: Nam talis in iudicio orbis erit. Hinc Deur. 32. Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet. Quin & homines. Hebr. 10. Terribilis quadam expectatio iudicii est, qua**

consumtura est aduersarios. Illic namque, ait S. Gregorius Nyss. Orat. 2. in 1. Gen. *irascetur Iudex: elementa fremunt: cæli furorem spirant: omnes creaturæ aduersus hominem insurgent.*

Quid? Rex Ezechias auditis minis in Ierusalem ab Rapasce intentatis, sacco indutus in templum conuocatos proceres sacco indutos ad Isaiam amandat, qui dicerent: 4. Regum 19. *Dies tribulationis, & increpationis. & blasphemiæ dies iste. Quid agi parad diem iudicii? Quæ pœnitentia par?*

Mardocheus accepta ab Assuero li centia, die vna in Sulis occidit 500. viros & Amani cognatos 10. egit in crucem: quæ dies dicta est, Esther. 8. *Dies ultionis. At diuinæ ultionis dies quam terribilis est & quis resistet tibi? Psal. 75. Ex tunc ira tua, de cælo auditum fecisti iudicium tuum, terra tremuit, & quiescit: cū exurgeret in iudicio Deus.*

1. De ea die Sophonias. 1. *Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis: Hercules, Cæsar, Samson, &c. Quin etiam Psal. 96. Montes, id est, Sancti, sicut cera fluxerunt à facie Domini a facie Domini iudicantis, omnis terra. 2. Ostensa Abrahamæ dies illa sic describitur Genes. 15. *Cum sol occumberet, sopor irruit super Abraham, & horror magnus atque tenebrosus inuasit eum: apparuit clibanus ardens, & fumans, & lampas ardens. In qua S. Augustin. serm. 54. de temp. & Ps. 103. con. 3. Clibanus, ait, significat diem iudicii, in quo erit fletus & stridor dentium, & tarda pœnitentia, quando ardebit terra vsque ad inferos.**

3. Vnus amicorum Iob diem istum animo voluens ait Iob. 4. *In horrore visionis nocturnæ pauor tenuit me & tremor, & omnia ossa perterrita sunt. Quæ verba S. Gregorius 5. Moral. cap. 23. de iudicio interpretatur. 4. Nescit fat describere diem eam Sophonias, cap. 1. *Dies, ait, ira, dies tribulationis, & angustie: dies calamitatis & miseriæ:**

dies